



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 8. Ratisbonensis, & Basileensis Episcoporum Procuratores in Synodo excepti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæc. XVI. omnia ad tempus, in quo Patres suas
A.C. 1562. sententias promerent, remissum.

§. VIII.

Ratisbonensis, & Basileensis Episcoporum Procuratores in Synodo excepti.

Sarp. p. 534. Die tertia Augusti generalis habetur Congregatio, in qua Ratisbonensis, & Basileensis Episcoporum Procuratores admittebantur. Horum primus natione Germanus, ac nomen Joannes Gothardus erat sæcularis Sacerdos, alter vero Georgius Hochenwartus Theologiæ Doctor, cui Patres utpote veri Basileensis Episcopi Procuratori honorem deferre, eumque hoc *Basileensis Procuratoris* nomine decorare volebant, non sine invidia Basileensium, qui cum suo Episcopo de hac prerogativa contendebant, illumque non nisi Episcopum nominabant Bruntensensem ab exigua hujus nominis civitate, quæ occasum versus Basilea septem leucis distita, atque hodierni Episcopi Sedes est. Hisce solemnibus denique peractis rursus de Sacrificio Missæ sermo instituebatur, ubi Lancianensis Archiepiscopus ad sopiendas omnes controversias sat opportunum fore censebat, si doctrinæ capita omnino omitterentur, &

& duntaxat Canones, atque anathemata promulgarentur, prout jam antea in Synodo circa quæstiones de peccato Originali, & de Sacramentis in genere, necnon de Baptismo factum fuisset: Verum Octavianus Preconius Panormitanus Archiepiscopus sese huic opinioni opposuit, asseruitque, quod non detrectetur doctrinæ Apostolicæ explicatio, minus vero hæreticorum metu disputationis alea declinetur; quacun- que enim ratione cum illis ageretur, hi nunquam suam pertinaciam essent deposituri, quapropter illorum sententia, qui rem eo, quo cæpta est, pede proseguendam censebant, prævaluit, atque inter Patres conventum, ut doctrinæ capita conficerentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. IX.

Quæstio, an doctrina ante Canones proponeretur?

Rebus omnibus ita dispositis, paratisque articulis, qui condemnandi essent, die sexta Augusti conventus habebatur, in quo hi Canones Synodi Patribus sigillatim tradebantur, ut illos maturo examine discuterent: demum vero die undecima ejusdem Mensis cuncta in generali Congregatione proponebantur, ubi duæ duntaxat controversiæ sunt

Pallav. c. 1.
n. 6.